opus contritionis, vel amoris Dei videtur ex natura sua opus maxime proportionatum ad hujusmodi satisfactionem vel remissionem, quia nobiliori modo attingit Deum, et hominem ad illum convertit; peccatum enim veniale non est proprie contra Deum, ut ultimum finem, sed præter Deum; neque avertit ab illo, sed retardat. Denique non est proprie offensa et injuria, sed valde analogice; unde unum solum mortale majorem rationem injuriæ habet, quam simul sumpta innumera venialia; at vero actus amoris vel contritionis attingit Deum ipsum ut ultimum finem, et perfecto dono hominem ad illum convertit. Deinde persona operans est digna, quia supponitur justa, et amica Dei; et aliunde non deest promissio Dei sub conditione talis operis; dicitur enim 1 Joan. 1: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est, et justus, ut remittat nobis*. Loquitur autem præsertim de venialibus, ut ibi Augustinus, tract. 1, notavit; paulo enim antea dixerat: *Si dixerimus quia peccatum non habemus;* quod propter venialia potissimum generatim de omnibus dictum est; nihil ergo hic deest ad condignam et justam satisfactionem, quam aliquo modo confirmant dicta verba Joannis, quibus fidelitati et justitiæ divinæ hunc tribuit effectum. Confirmatur, quia hæ leves offensæ, quæ humano modo vix possunt vitari, secundum prudentem æstimationem moralem non sunt magni valoris aut momenti, propter quod peccatis venialibus, per se loquendo, solum temporalis pœna debetur; at vero actus charitatis hominis justi, magni pretii et valoris est apud Deum, et æternum præmium meretur; ergo, etc. Denique confirmatur, nam homini justo debetur ex justitia vita æterna, qua juste privari non potest, si peccatum mortale non committat; sed per venialia peccata impeditur ne hanc vitam æternam consequatur, quamdiu illa remissa non sunt; ergo potest aliquo modo non solum ex misericordia, sed ex justitia consequi, ut tale impedimentum gloriæ auferatur; alias posset perpetuo privari beatitudine propter veniale peccatum absque injustitia. Non est autem alius modus convenientior obtinendi ex justitia remissionem venialis culpæ, quam per condignam satisfactionem.

5. *Objectio.* — *Responsio.* — Potest vero contra conclusionem hanc ex principiis supra positis formari ratio, quia gravitas injuriæ sumitur ex persona offensa, satisfactionis vero ex persona satisfaciente; sed etiam in culpa veniali, persona offensa est infinita, satisfaciens autem finita; ergo neque proportio, neque æqualitas servatur. Respondetur primum, negando peccatum veniale esse offensam simpliciter, sed secundum quid, ut dictum est. Deinde, cum hæc moraliter sint consideranda, eadem ratio in offensione levi et gravi censeri non potest, quia leves offensiones, quæ non proprie attingunt ipsas personas, sed solum versantur circa quædam quasi ipsis extrinseca et adjacentia, moraliter non censentnr magni ponderis esse, sed a persona etiam inferioris ordinis compensari possunt; hujusmodi autem est in proposito veniale peccatum, quod contra Deum proprie non est, nec circa eum in seipso, sed circa media ad illum potius versatur, ut D. Thomas dixit, in 1. 2, q. 88, art. 1 et 2; et ideo mirum non est si per actum personæ finitæ compensari possit. Denique, etiam si in hoc non servetur omnimoda proportio et æqualitas, non propterea non erit satisfactio condigna, et de justitia, quia sufficit proportio explicata, sanctitate et gratia, dictisque aliis concurrentibus.

6. *Conclusio.* — Dico secundo: hæc satisfactio puræ creaturæ pro peccato veniali non est tam exacta et perfecta, quin satisfactio Christi pro peccato veniali perfectior fuerit, sistendo etiam intra rationem justitiæ, ejusque perfectionem. Denique satisfactio Christi merito dici potest de rigore justitiæ, non vero puræ creaturæ satisfactio. Probatur ex omnibus supra adductis testimoniis, quibus soli Christo hæc perfecta justitia tribuitur; universa enim loquuntur de omni justitia apud Deum. Est etiam hoc magis consentaneum dignitati Christi Domini. Ratione vero explicari breviter potest ex supra dictis; nam, imprimis in solo Christo reperitur illa exacta et perfectissima æqualitas, ut persona satisfaciens sit tam digna quam persona offensa; deinde soli Christo, proprie loquendo, nulla gratia facta est, quamvis sit facta ejus humanitati. Præterea, solus ipse habuit infinitum valorem in suis operibus, quo posset vincere et superare debitum omne; at vero opera puræ creaturæ finiti valoris sunt, et possent fieri debita aliis modis, etiam debito rigoroso et perfecto, ita ut re vera non haberent sufficientem moralem valorem ad utrumque debitum persolvendum. Denique, si intelligeretur purus homo omnino innocens et sanctus satisfacere pro peccato veniali alieno, ultra omnia dicta superaretur a Christo, quod

non esset illi connaturale et intrinsecum, esse caput aliorum, atque adeo nec posse satisfacere pro alieno peccato, etiam veniali, sicut est Christo; si vero intelligatur purus homo justus satisfaciens pro suo veniali peccato, in hoc etiam multum deficit a Christo satisfaciente, quod non est persona innocens, et omnino sancta, atque adeo minus digna etiam ex hac parte ad satisfaciendum.

7. *Objectio.*—Sed objicit aliquis: ergo posset Deus, servato toto rigore justitiæ, non acceptare satisfactionem hominis justi pro peccato veniali proprio; ergo ex vi justitiæ posset homo justus perpetuo privari beatitudine pro solo peccato veniali; ergo peccatum veniale, quantum est ex se, in æternum privat beatitudine et ultimo fine. Quod si nunc id non efficit, solum est ex divina misericordia. Ex quo ulterius concludi potest, nullum esse natura sua peccatum veniale, nam omnia de se afferunt mortem animæ, quæ in carentia ultimi finis, seu in aversione ab illo consistit. Sed ea, quæ nunc dicuntur venialia, solum erunt hujusmodi, quia Deus non vult ea ad mortem imputare; hæc autem sunt valde absurda et erronea, ut constat ex prima secundæ, q. 72, art. 5, et q. 88, art. 1 et 2.

8. *An satisfactio condigna pro peccato veniali acceptationem requirat.* — Ad hanc objectionem duo possunt esse respondendi modi extreme contrarii. Prior est, satisfactionem, quam homo justus exhibere potest pro veniali peccato, talem esse, ut non pendeat ex divina acceptatione, sed omnino naturaliter ac necessario fiat per illum actum, per quem justus satisfacere dicitur pro culpa veniali; quia nimirum actus ille formaliter, et vi sua expellit talem culpam, ita ut de potentia absoluta non possint simul manere. Et hæc sententia videtur coincidere cum illa, quam refert Richard., in 4, d. 17, art. 1, q. 7, quod homo effective causat remissionem venialis peccati, efficiendo contritionem, per quam illud formaliter expellitur. Et est quidem minus improbabilis sententia quam similis supra tractata, sect. 8, de remissione peccati mortalis. Nihilominus tamen non censeo esse veram, nec Richard. supra illam probat, et si considerentur quæ tractando de satisfactione Christi, et in prædicta sect. 8 dicta sunt, ex eis constat nullam esse posse satisfactionem hominis ad Deum, quæ divinam acceptationem non requirat, et ab ea non pendeat, saltem propter eam causam, quod nihil potes Deo in satisfactionem offeri, quod multis aliis titulis ei non debeatur, propter quos solos posset Deus actum illum exigere vel acceptare sine ullo ordine ad satisfactionem. Quæ ratio etiam habet locum in peccato veniali, et communiter ab Anselmo et aliis Doctoribus affertur ad excludendam perfectam justitiam puræ creaturæ ad Deum; ut minimum tamen mihi probare videtur non esse possibilem creaturæ satisfactionem ad Deum pro culpa, quam Deus non possit repellere et non acceptare. Deinde nullus apparet actus hominis justi, qui de potentia absoluta esse non possit cum veniali culpa habituali. Nam, si quis esset, maxime dilectio Dei intensa et perfecta, aut formalis detestatio talis peccati; neutrum autem horum dici potest; ergo. Probatur minor quoad priorem partem, quia actus amoris non habet formalem oppositionem cum veniali peccato, neque involvit ullam contradictionem, quod justus retinens culpam venialem, quasi in habitu, eliciat talem caritatis actum, quia neque illa culpa destruit vires necessarias ad eliciendum talem actum, neque destruit objectum ejus; potest enim homo velle placere Deo in omnibus, et omni conatu, quamvis non possit a se expellere culpam venialem habitualem. Secunda vero pars minoris patet, quia homo existens in peccato mortali et veniali simul, quamvis veniale peccatum detestetur propter malitiam ejus, nihilominus illud a se non expellit, neque est formalis repugnantia inter talem actum et talem culpam; ergo idem erit de quacumque alia detestatione formali, etiamsi sit ex altiori motivo, vel conjuncta cum gratia, nam, si quæ esset formalis repugnantia physica seu naturalis, oriretur potius ex modo tendentiæ, et conversione, seu aversione voluntatis ad talem objectum, quam ex motivo, vel conditione personæ operantis; hæc enim non videtur quicquam conferre ad formalem repugnantiam physicam, sed solum ad perfectionem actus seu moralem æstimationem ejus. Secundus modus respondendi est, concedendo remissionem peccati venialis pendere ex acceptatione divina, et consequenter peccatum veniale talis esse conditionis ac meriti, ut, si Deus vellet toto rigore suæ justitiæ uti, possit juste hominem justum perpetuo excludere a beatitudine propter solum veniale peccatum.

9. *An veniale peccatum ex justitiæ rigore possit in æternum puniri.* — Ex quo principio dixisse videtur quidam Doctor agens de

influentia Christi capitis in animas purgatorii, ex misericordia Dei, respicientis ad merita Christi, factum esse ut pœnæ purgatorii sint, et ut temporales sint. Nam, si vellet Deus toto rigore justitiæ uti, posset ad nullum opus talium animarum respicere, nullamque satisfactionem aut satispassionem earum acceptare, sed propter veniales culpas, si quas secum deferunt, eas in perpetuum a regno exclusas detinere. Imo idem ait posse facere Deum, propter solum reatum pœnarum temporalium, pro quibus justus in hac vita non satisfecit; nam, licet hoc ad rigorem pertineret, non ad injustitiam. Et declarat se loqui, non considerando Deum ut dominum vitæ et mortis, sed ut legislatorem et gubernatorem. Fundamentum ejus est, quia, cum ipsæ animæ non se purgaverint sufficienter in statu viæ, cum possent ex vi gratiæ et caritatis, et auxiliorum Dei, nulla eis irrogaretur injuria, si, peracto viæ cursu, neque ad satisfaciendum, neque ad satispatiendum, eis daretur locus, sed perpetuo exules a regno manerent. Verumtamen hæc sententia videtur plane incidere in illa incommoda quæ in objectione facta illata sunt. Nam imprimis ex ea sequitur peccatum veniale ex se et natura sua æternam pœnam mereri, et esse irreparabile ab intrinseco; consequens est falsum, nam hæc est ratio propria peccati mortalis, ut D. Thomas locis supra citatis docet. Sequela patet, quia Deus, utens sola ratione gubernatoris seu judicis, posset juste punire hominem existentem in gratia et peccantem venialiter, privatione gloriæ æternæ; ergo peccatum veniale ex se meretur hanc pœnam. Rursus, peccatum veniale ex se meretur æternam privationem gloriæ; ergo meretur etiam æternam privationem gratiæ; ergo, quantum est ex se, tollit principium intrinsecum quo possit talis culpa expelli, et consequenter, quantum est ex se, tam irreparabilis culpa est, sicut mortalis. Prima consequentia probatur, quia gratia est semen gloriæ, et confert jus ad illam; si ergo peccatum veniale ex se meretur æternam gloriæ carentiam, ex se tollit omne jus ad gloriam; et consequenter ex se meretur etiam privationem gratiæ.

10. Tandem, quia, si peccatum veniale ex se meretur privationem æternam gloriæ, prorsus deordinat hominem ab ultimo fine, quantum est ex se; nulla enim potest esse major deordinatio quam debitum perpetuo carendi illo; ergo peccatum veniale ex natura sua mortale erat; quod si nunc non infert animæ mortem, misericordiæ Dei et meritis Christi attribuendum est, quia, scilicet, propter Christi merita Deus non ita imputat hæc peccata, quod repugnat sanæ doctrinæ, et in Lutheranum errorem multum inclinat.

11. *Evasio. — Replica.* — Responderi vero potest, juxta prædictam sententiam hæc incommoda non sequi, quia peccatum veniale ex natura sua habet, ut saltem pro statu viæ relinquat in homine potestatem satisfaciendi, et purgandi se ab ipso, quod non habet mortale. Sed interrogo an posset Deus, utens toto rigore justitiæ, non concedere homini hoc tempus viæ ad satisfaciendum pro culpa veniali, sed statim illum privare in æternum beatitudine, ita ut misericordiæ Dei et meritis Christi tribuendum sit, quod homini justo venialiter peccanti tempus satisfaciendi et se purgandi in hac vita concesserit. Vel necessarium fuit ut Deus, servans rigorem justitiæ, hoc tempus concederet homini justo ad satisfaciendum pro culpa veniali. Si primum dicatur, sequuntur omnia incommoda illata, quia jam Deus, utens rigore justitiæ, posset privare statim æterna gloria hominem justum venialiter peccantem, nullum tempus ad se purgandum vel satisfaciendum illi concedendo. Et consequenter fit, totum hoc mereri peccatum veniale ex se; ex quo sequuntur cætera inconvenientia illata. Si autem dicatur secundum, id imprimis non dicitur consequenter: quin potius certius est ad misericordiam Dei spectare, quod modum et rationem nobis concesserit satisfaciendi in hac vita pro pœnis debitis in futura; et hoc maxime attribuendum est Christi meritis.

12. Deinde, quia si illud est aliquo modo verum, ideo est quia est debitum gratiæ ac justitiæ, ut per venialia peccata non excludatur a subjecto in quo est, et consequenter ut nec subjectum sanctificatum per ipsam perpetuo excludatur ab hæreditate et regno quod illi respondet; hinc enim fit ut gratiæ ipsi connaturale sit posse expellere a suo subjecto veniales culpas satisfaciendo pro illis. Si autem hoc ita est, ut revera est, ergo, quomodocumque sit anima cum gratia et peccato veniali, sive conjuncta sit, sive separata, semper est potens per gratiam ad expellendum venialem culpam satisfaciendo pro illa, vel merendo remissionem ejus; ergo, si consideretur natura gratiæ et venialis culpæ, et meritum unius ac debitum alterius, non est cur potius uno tempore quam alio possit per

gratiam expelli talis culpa, aut e contrario propter talem culpam perpetuo privari gratia, ne fini suo conjungatur; semper ergo culpa venialis est de se tantum temporale impedimentum, et non æternum.

13. Et confirmatur primo, quia alias etiam posset Deus, utens rigore justitiæ, non concedere homini justo, ut possit se a peccatis venialibus purgare, totum tempus hujus vitæ, sed tantum unum annum, verbi gratia, vel mensem, vel diem, vel horam, quia, stando in legibus justitiæ, nulla ratio differentiæ assignari potest; si autem id concedatur, pari fere ratione poterit idem dici de toto tempore vitæ, nullam particulam ejus excipiendo; quæ enim est lex justitiæ quæ magis ad hoc obliget quam ad illud? Unde confirmatur secundo, quia alias, stando in rigore justitiæ, posset Deus privare gratia et caritate animam discedentem a corpore cum sola culpa veniali, in pœnam illius; consequens est absurdissimum; ergo. Sequela patet argumento facto, quia non est major ratio de privatione gloriæ quam de perpetua privatione gloriæ, imo una ad aliam consequitur. Minor vero patet, quia, si peccatum veniale mereretur ex se illam privationem gratiæ, posset Deus, statim ac homo venialiter peccat, eam pœnam inferre, non expectata aliqua satisfactione, quia nulla lex justitiæ eum obligat ad eam expectandam. Tandem confirmo, quia peccatum veniale natura sua solum meretur temporalem pœnam voluntarie et in gratia sustinendam; ergo nullo modo potest intra limites justitiæ pœna illa fieri æterna in homine grato, et voluntarie satisfaciente, seu satis patiente.

14. *Responsio ad priorem objectionem.* — Respondetur ergo, dupliciter posse hominem justum considerari post commissum veniale peccatum. Uno modo, antequam ei talis culpa et pœna ei respondens remissa sit. Alio modo, quod culpa jam sit remissa, non tamen pœna. Rursus dupliciter posse considerari Deum respectu talis hominis, scilicet, vel ut absolutum dominum, vel tantum ut judicem vel gubernatorem supremum. Principio igitur dicendum est, ablata culpa, non posse Deum, ut judicem, perpetuo punire hominem justum pro veniali peccato. Patet, quia illa pœna, sive in hac vita, sive in futura infligatur, ex vi justitiæ, et considerando merita talis causæ, temporalis est. Unde obiter intelligitur, multo magis falsum esse quod præcedens opinio aiebat, non posse animas justas satispati in futura vita pro reatu pœnæ temporalis, si Deus velit toto rigore justitiæ uti, sed posse perpetuo illas beatitudine privare; hoc enim involvit repugnantiam, nam, cum remittitur culpa mortalis, absolute remittitur pœna æterna et in temporalem commutatur; ergo, stando intra limites justitiæ, non potest illa pœna rursus fieri æterna; maxime quod illa pœna per se est pœna vitæ futuræ; quod vero per pœnas hujus vitæ tolli seu satisfieri possit, est ex benigna Dei promissione propter Christi merita. Ulterius ergo dicendum est, connaturale esse gratiæ, ut per opera sua possit expellere peccata venialia. Et consequenter esse ei debitum debito connaturalitatis, ut opera ejus acceptentur in satisfactionem pro culpis venialibus. E converso autem esse intrinsecum veniali peccato, ut propter illud solum non possit homo justus gratia privari; hæc enim omnia probant argumenta facta, et hæc satis sunt ad differentiam constituendam inter veniale peccatum et mortale; et ut verum sit non posse hominem propter solum veniale peccatum privari æterna beatitudine ex vi solius justitiæ. Nihilominus tamen, de absoluta potentia, posset Deus, ut dominus omnium, non acceptare satisfactionem hominis justi pro peccato veniali, quia potuisset non promittere, cum hoc fuerit ei liberum, et seclusa promissione, nihil est quod Deum necessitet ad acceptandum, sed tunc magis ageret ut dominus quam ut judex, quia ageret præter naturam gratiæ, et præter debitum connaturale illi. Et hæc est vera et sufficiens solutio objectionis propositæ.

SECTIO XII.

Utrum possit homo purus, saltem ut Christi membrum, satisfacere Deo ex perfecta justitia pro peccato suo.

1. Hæc quæstio videri potest huic disputationi non admodum necessaria; tamen, ad materiæ complementum, et quia ab aliis auctoribus hoc loco introducta est, et brevissime expediri potest, non putavi prætermittendam; præsertim quia etiam ad explicandam convenientiam incarnationis Christi propter perfectam satisfactionem nostram, non solum ut ab ipso facta est, sed ut a nobis etiam exercetur, plurimum conferre potest.

2. *Explicatur locus Pauli.* — Duæ igitur possunt de quæstione hac referri sententiæ. Prior est, affirmans nostram satisfactionem ut fundatam in satisfactione Christi, esse

rigore justitiæ; ita sentit Cajet. hoc loco, et tom. 3 Opuscul., tract. 10, c. 9; et Soto, in 4, d. 19, q. 1, art. 2, concl. 3; Ledesm., in 4, 2 p., q. 11, art. 2; Hosius, in Confess., c. 73, et videtur illis favere D. Thomas infra, q. 48, art. 1, ubi inquit ita se habere opera Christi capitis, tam ad se quam ad sua membra, sicut se habent opera alterius hominis in gratia constituti ad ipsum, et art. 2, ad 1, dicit caput et membra esse quasi unam personam mysticam, et ideo satisfactionem Christi ad omnes fideles pertinere, sicut ad sua membra; et q. 49, art. 1, dicit totam Ecclesiam, quæ est mysticum corpus Christi, computari quasi unam personam cum suo capite Christo, in quo etiam fundata est illa regula Tichonii, quæ est apud Augustinum, libro tertio de Doctr. Christ., c. 30 et 31, actiones capitis tribui membris, et e converso, propter hanc mysticam conjunctionem; sicut ergo Christus satisfecit de rigore justitiæ, ita membra ejus, ut illi conjuncta, poterunt eodem modo satisfacere. Quod aliqui confirmant ex illo ad Colossens. 1 : *Adimpleo ea quæ desunt passioni Christi in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia.* Hoc tamen testimonium nihil ad præsentem quæstionem facit, quia ad litteram non loquitur Paulus de suis passionibus vel laboribus, quatenus per illa satisfaciebat pro corpore Ecclesiæ, quoad sufficientiam (ut ita loquamur), quia quoad hoc nihil deerat passioni Christi; sed loquitur de applicatione, et de efficacia satisfactionis Christi circa corpus Ecclesiæ, ad quam ipse laborando et patiendo cooperabatur; de quo testimonio dicemus latius in materia de satisfactione. Potest vero hæc sententia confirmari, quia nostræ satisfactioni, ut fundatæ in Christo, ex toto rigore justitiæ debetur remissio peccati, juxta illud ad Rom. 8 : *Deus qui justificat, quis est qui condemnet? Christus Jesus, qui mortuus est, qui etiam interpellat pro nobis*, etc.; et 2 Corinth. 5 : *Eum, qui non novit peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut efficiamur justitia Dei in ipso.* Et ideo multi existimant dixisse Joan., 1 canonica, c. 1 : *Fidelis est et justus, ut remittat nobis peccata nostra,* quia nobis, in Christo satisfacientibus, ex justitia debetur remissio peccati; peccato ergo in Christo satisfacimus de rigore justitiæ.

3. Secunda sententia negat posse nos vere dici satisfacere de rigore justitiæ, etiam ut Christi membra; quia, si loquamur de satisfactione pro culpa mortali, homo non satisfacit pro illa ut vivum membrum Christi; ergo non potest ullo modo dici satisfacere de condigno, nedum de rigore justitiæ. Antecedens patet ex supra dictis; consequentia vero probatur, quia homo, etiam ut membrum Christi, nihil potest operari quod apud Deum habeat condignum valorem ad meritum vel satisfactionem apud Deum, si non fuerit vivum membrum Christi, juxta illud Joan. 15 : *Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis.* Manemus autem in Christo, quamdiu sumus membra ejus viva, ut recte ibi Augustinus exposuit ex verbis ejusdem Christi, qui statim subjungit : *Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, et arescet, et colligent eum, et in ignem mittent, et ardet.* Quod verum est de omnibus qui ipso per charitatem non manent, et ideo clarius infra subjunxit : *Manete in dilectione mea.* Et ratione patet ex dictis, quia, si homo non sit membrum vivum Christi, opera ejus non habent in se valorem moralem coram Deo; ergo, qui illa operatur, nullo modo potest vere dici satisfacere. Nisi fortasse quis dicat extrinsecam imputationem ad hoc sufficere, quod plane falsum est, et his temporibus male audit; alias pari ratione posset dici peccator mereri de rigore justitiæ primam gratiam propter imputationem meritorum Christi, et parvulus, qui sine opere suo justificatur per Christum, posset dici satisfacere Deo de rigore justitiæ per similem imputationem, quod nullus, qui bene sentiat, concedere audebit. Si autem loquamur de satisfactione pro culpa veniali quæ exhibetur a vivo membro Christi, quamvis argumenta facta non eodem modo in ea procedant, possunt tamen proportionaliter applicari, quia, sicut satisfactio exhibita ab homine nondum grato, ut a proximo operante procedit, non est condigna, et ideo neque efficitur condigna per relationem ad Christum, aut per extrinsecam imputationem meritorum ipsius, ita satisfactio procedens ab homine justo in se non est de rigore justitiæ; ergo neque per relationem ad Christum, et imputationem extrinsecam, potest dici de rigore justitiæ, neque habere majorem condignitatem, quam habeat, ut est a proximo operante. Confirmatur, quia, si per illam mysticam conjunctionem propria perfectio satisfactionis Christi, quæ est rigor justitiæ, membro Christi etiam vivo tribui potest, pari ratione posset dici membrum Christi infinite satisfacere, et una gutta sanguinis martyris, ut membri Christi, posset dici infiniti valoris, sicut una gutta sanguinis Christi; quod tamen concedere absurdissimum est. Sequela vero patet, quia non est minus proprium Dei hominis de rigore justitiæ satisfacere, quam infinite, ut ex superioribus satis constat.

4. *Quid sit satisfacere ut membrum Christi.* — In hac re ne fortasse in quæstione de nomine versemur, oportet primo rem ipsam explicare, deinde modum loquendi. Quod ad rem spectat, homo dicitur satisfacere ut membrum Christi, non quia illi imputetur satisfactio Christi, ut argumenta facta recte probant; sed quia revera ipse satisfacit per gratiam propter Christum acceptam, quam videlicet ipse Christus influit tanquam caput in membra; et præterea, quia puri hominis satisfactio in Christi meritis et satisfactione fundatur. Dicitur autem nostra satisfactio fundari in Christi meritis et satisfactione, non solum quia fundatur in gratia habituali propter Christum data, sed etiam quia ipsamet actualia auxilia ad satisfaciendum propter Christum dantur; tum etiam quia nostra opera propter Christi justitiam ex divina promissione acceptantur, ut Concilium Tridentinum, sess. 14, cap. 8, aperte docuit; tum denique quia si quid valoris et dignitatis deest in nostra satisfactione, totum suppletur et compensatur ex conjunctione ad satisfactionem Christi, ut latius ostendemus infra, q. 19, agentes de merito; et in re non invenio quo alio modo nostra satisfactio fundetur in Christo aut quo alio modo nos dicamur ut membra Christi satisfacere.

5. Ex hac vero re sic explicata videtur mihi, proprie loquendo, et exclusis metaphoris, passive (ut ita dicam) recte posse dici nos justificari, nobis remitti peccatum, nostras dispositiones vel satisfactiones acceptari, ex perfecta et rigorosa justitia; active autem non posse nos vere et proprie dici satisfacere de rigore justitiæ, præsertim pro mortalibus peccatis. Prior pars constat ex ipsius rei explicatione, quia Christus nobis ex perfecta justitia meruit illa omnia, et pro nobis perfecte satisfecit, ut nobis peccata ex perfecta justitia remitterentur; ex perfecta, inquam, justitia ipsi debita, non nobis; quo sensu explicuit Augustinus, in Enchirid., c. 41, verba illa Pauli, 2 ad Corinth. 5 : *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut efficiamur justitia Dei in ipso : Justitia,* inquit Augustinus, *non nostra, sed Dei; nec in nobis, sed in ipso;* non quia, cum justificamur, non vera et formalis justitia nobis infundatur, aut per extrinsecam justitiam Dei, aut Christi justificemur; non enim de hoc agunt Paulus vel Augustinus, sed quod ipsa formalis justitia non detur nobis ex debito nostræ justitiæ, sed ex justitia Dei, debita Christo. Unde recte Chrysostomus, homil. 11 in posteriorem ad Corinth., dicit hanc vocari justitiam Dei, quia non ex operibus nostris, esse autem justitiam Dei in Christo, quia ex operibus Christi. Posterior pars videtur efficaciter probari argumentis in principio factis; et quia revera cum satisfacere active proprie sit veluti actus vitalis ipsius satisfacientis, non potest ipsi proprie tribui, nisi secundum eum modum, et perfectionem quam habet, prout est ab ipso satisfaciente. Unde si purus homo proxime satisfaciens non habet in se gratiam unde possit de condigno satisfacere, non potest vere dici ut membrum Christi condigne satisfacere, quia Christus, ut caput, vere non influit in illo virtutem ad ita satisfaciendum, quamvis fortasse influat effectum suæ infinitæ satisfactionis; et ita contingit in satisfactione pro peccato mortali. At vero, si homo jam habeat gratiam ad satisfaciendum condigne, poterit dici hoc modo satisfacere, non tamen de rigore justitiæ, eo modo quo Christus; quia etiam Christus non influit in suum membrum virtutem ad satisfaciendum illo perfectissimo modo, et sibi proprio, sed alio inferiori; sicut etiam Christus satisfacit per modum causæ primæ in illo genere, id est, ut independens ab alio principaliori satisfaciente, non tamen communicat membro suo, ut hoc modo satisfaciat.

6. *Ad fundamenta contrariæ sententiæ.* — Neque contra hoc urgent fundamenta prioris sententiæ, nam illæ locutiones, quibus actiones membrorum communicantur capiti, vel e contrario, metaphoricæ sunt, et impropriæ; sicut, cum in persona Christi dicitur, Psalm. 21 : *Longe a salute mea verba delictorum meorum,* non proprie, sed metaphorice nostra delicta dicuntur Christi, quia obligationem suscepit satisfaciendi pro illis, ut non active, ut ita dicam, dicantur delicta Christi, quia ipse illa commiserit, sed quasi passive, quia in eo vindictæ et pœnæ effectum habent; sic, e contrario, satisfactiones Christi dici possunt nostræ, non proprie et active, quasi nos satisfaciamus per ipsas; sed passive, quia nobis donatæ sunt, et in nobis habent effectum remissionis ac gratiæ. Quod si urgeas, quia genus humanum recte et proprie dicitur satisfecisse Deo de rigore justitiæ; ergo